



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ad Leonem X. Pontificem Maximvm**

**[Straßburg], 1519**

**VD16 L 3409**

Conclvsio LXXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34717**

## M. L. RESOLV TIONES DE VIRTUTE IN

Igitur fulminandi sunt, qui ita uenias prædicat, ut eas gratias dei uideri uelint, hoc est enim cōtra ueritatem & charitatē, quæ sola talis gratia est. Multoq; melius erat, nullas esse uspiā indulgentias, q; tales opiniones in uulgū seminari, quia sine indulgentijs possimus esse Christiani, sed talibus opinionibus nō possimus esse, nisi hæretici. Certum est aut, quod summus pontifex uel credit uel debet uelle, esse in populo, primū mutuā charitatem, & misericordiā, aliaq; præcepta dei in illo florere, ac sic donat indulgentias. Nunc uero fallitur, quia charitas & misericordia & fides, prope extincta est, nedū refriguit apud nos. Hoc em si sciret, omissis uenijs, id ageret, ut populus primū ad mutuam charitatem rediret. Ita testor ego dominū Iesum, quod populus magna ex parte (alij putant ex omni parte) ignorat, quod opera charitatis meliora sunt quam ueniae, credit potius se se nil melius agere posse, q; uenias redimere. Et huius hæreticæ & pestilentis opinionis, nullū haber correptorem, aut fidelem magistrū, sed potius per pomposas istas buccinas, instantissimos authores.

## C O N C L V S I O LXXV.

Opinari, uenias papales tantas esse, ut soluere possint hominem, etiam si quis per impossibile dei genitricem uiolasset, est insanire.

COACTVS sum insanios uocare, qui talia opinantur, ac uenia nobis a diua Virgine est petenda, quod talia dicere & cogitare cogimur, nec patuit uia, qua hanc necessitatē uitaremus. Nescio quo diabolo operate factum sit, ut populus istum rumor ubiq; spargeret, siue id uere ita dictū est, siue ita intellectum a populo. Ego quidem & si cōstanter afferetur a multis, & magni nominis hominibus, ita esse prædicatum in multis locis, potius tamen mirabar, q; credebā, sed auditu fuisse falsos existimabam. Ideo nolui in hac conclusione illum concionatorem taxare, sed uulgum monere, qui talia opinari cœpit, quæ forte nullus dixisset, siue enim illi dixerunt, siue non, mei nō refert, donec tertior siam. Opinio tamen illa pessima undecūq; orta fuerit, de testanda & dānanda. Veruntamen non mirū fuerit, tale quida populo fuisse intellectū, quando audit, magna & horrenda peccata, quodāmodo leuissima existinari, propter magnitudinē

## DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P. M.

gratiarū. Vera & euangelica prædicatio est, peccata quoad fieri potest magnificare, ut homo ad timorem & legitimā pœnitentiā ueniat. Deniq̄ quid prodest ppter uilissimā pœnarum remissionē, tor auxesibus tonare, ad extollendas uenias, & propter sa liberrimā crucis sapientiā uix mutire: immo quō id non noceat simplici uulgo, qui tantū solet aestimare uerbū, quanto fuerit gestu & apparatu prædicatū: At euangeliū nullo, ueniæ omni apparatu proferuntur, scilicet ut uulgas euangeliū nihil, uenias omnia credat esse. Mirum tamen est, cū audeant clamare, homi cidia, latrocinia, libidinem generis omnis, blasphemias in Virginem Mariam & deum, facilia, ut his uenijis remittantur, cur non etiā illa leuiora remitti clament, quæ in Bulla coenæ reseruātur: Pontifex non remittit, uide ergo forte ne & illa nō remittat aut saltem nō tam facile remittat, quæ multo sūnt illis grauiora.

## C O N C L V S I O LXXVI.

Dicimus contra, quod ueniæ papales, nec minimum uenialium peccatorum tollere possint, quo ad culpam.

H A N C Meofin, nō posuisssem, nisi uoluisssem præcedentis conclu. opinionem detestabilem facere. Patet autem, quod nulla culpa remittitur, nisi a solo deo. Ideo nec illa magna per facultates remittantur, sed declarantur remitti, & eorū pœna remittitur. Hæc dico secundū illorum sententiā. Mea autem patuit superius satis. Verè hic morandum fuisset in ueniali peccato, quod ita uilescit hodie, ac si nullum pene sit, & timeo magna multorum perditione, qui secure stertunt in peccatis, ubi non uiderint se crima committere. Ego id fateor, donec legi scholasticos doctores, nunq̄ intellexi, quid & quantum esset ueniale peccatum, an ipsi intelligant, nescio. Id breuiter dico, qui non assidue sicutimet & agit, ac si mortalibus peccatis plenus esset, uix unq̄ saluabitur, quia dicit scriptura, Non intres in iudicium cum seruo tuo domine, nam non solum uenialia, quæ nunc passim uocant, sed etiam bona opera, non possunt iudicium dei sustinere sed egent ignoscente misericordia. Quia non ait, Non intres in iudicium cum hoste tuo, sed cum seruo & puero tuo, qui seruit tibi. Iste ergo timor doceret misericordiam dei suspirare, & in eam confidere, ubi ille deest, incipimus cōfidere in conscientiam

K v